

tola ad Petrum Hieronymum Guglielmi, sac. inquisitionis assessorem, *Probe te*, 15 decemb. 1751.

VI. Si parentibus orbatu offerantur a tutoribus.

VII. Si filii servorum pœnalia offerantur ab eorum dominis, filii scilicet Turcarum bello capti, sicut et nati ab ipsis in captivitate, non autem filii christianorum capti in bello, inter eosdem christianos gesto, cum hi sint servi servitute tantum civili.

VIII. Si offerantur infantes Hebræorum a parentibus qui semel dixerunt se catholicam fidem amplecti velle, licet postea a proposito recedant.

IX. Si offerantur nedum a parentibus neophytis, sed etiam ab ethnicis et judæis in infidelitate et judaismo remanentibus, dummodo fide bona ab eis id fiat, et infantes baptizati apud christianos remaneant, § X epistolæ ad Petrum Guglielmi.

X. Si ipsimet judæorum et infidelium filii, statim ac ad usum rationis pervenerint, baptismum ultro postulaverint. Porro rationis usus regulariter ab anno septimo completo inchoatur, ex decreto Congr. concil. 16 julii 1639, ibidem relato § XXXIII. In dubio de perfecto rationis usu baptismus est protrahendus, et interim puer ille petens non remittendus ad parentes sed procul ab eis retinendus, donec constet de ejusdem perfecto rationis usu. Si tamen post adhibitam diligentiam reperiatur vere rationis usu carere, restituendus est parentibus.

XI. Illicite baptizati, id est neque a parentibus, neque ab aliis jus in eos habentibus, ad baptismum oblato, non sunt restituendi parentibus, etiamsi hi, cautione aut fidejussione data, ingenue spondeant se eos, vix dum ad convenientem ætatem pervenerint Christi fidelibus restituros. Contra autem sic baptizatos, si, postquam adoleverint, parentum ritibus adhæserint, et fuerint de hoc confessi aut convicti, procedendum est tanquam contra hæreticos.

Cf. Giraldum, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 798, et Adnotationem XIII voluminis quinti pag. 683.

ADNOTATIO XVIII.

Lib. V. Decretal. Tit. VII, De Hæreticis, § I, n. 21, pag. 241.

HÆRETICI RECENTIORES.

Hæreticorum seriem, qui a primævis temporibus fere usque ad ætatem suam prodierunt, contexuit auctor noster; hic addere juvat illos qui, post lutheranos et calvinistas, Deo loquenti fidem, necnon Ecclesiæ docenti obedientiam detrectare ausi sunt, inter quos præcipue annumerantur:

I. *Baianistæ*; sic a Michaele Baio, doctore Lovaniensi, nuncupati. Errores Baui damnati fuerunt a sancto Pio V, bulla *Ex omnibus afflictionibus*, 1 oct. 1567; a Gregorio XIII, bulla *Provisionis*

nostræ, 29 januar. 1579, et ab Urbano VIII, bulla *In eminenti*, 6 mart. 1644.

II. *Janseniani*; sic a Cornelio Jansenio, episcopo Yprensi, denominati, auctore famosi libri cui titulus: *Augustinus*. Propositiones quinque, ex præfato libro excerptæ, damnatæ sunt ab Innocentio X, constit. *Cum occasione*, 31 maii 1653, necnon ab Alexandro VII, const. *Ad Sanctam B. Petri Sedem*, 16 oct. 1655, et constit. *Regiminis Apostolici*, 15 febr. 1664, in qua formularium edidit; tandem a Clemente XI, const. *Vineam Domini Sabaoth*, 16 jul. 1705.

III. *Quietistæ*. Propositiones octo super sexaginta Michaelis de Molinos damnatæ sunt ab Innocentio XI, constitutione *Cælestis Pastor*, 20 nov. 1687. Quibus adjiciuntur propositiones Cameraenses tres et viginti super amore erga Deum purissimo, reprobatae ab Innocentio XII brevi *Cum alias*, 12 mart. 1699; licet nulla ex illis hæreseos insimulata fuerit.

IV. *Quesnellistæ*. Propositiones centum et una Paschasi Quesnelli damnatæ fuerunt a Clemente XI, constitutione *Unigenitus*, 8 sept. 1713, confirmata per bullam ejusdem 5 kal. sept. 1718, *Pastoralis officii*, contra appellantes; ab Innocentio XIII decreto diei 8 jan. 1722, a Benedicto XIV et synodo Romana anni 1725, a Benedicto XIV per Encyclicam: *Ex omnibus christiani orbis regionibus*, 16 oct. 1756. Quibus addendæ sunt propositiones synodi Pistoriensis, damnatæ a Pio VI, per bullam *Auctorem fidei*, 28 aug. 1794.

V. *Rationalistæ, naturalistæ, indifferentistæ et liberalistæ*. Damnati cum La Mennais a Gregorio XVI annis 1832 et 1834, cum Hermesio ab eodem Pontifice anno 1833 et a Pio IX anno 1847; item anno 1864 litteris encyclicis *Quanta cura*, et adnexo propositionum reprobatarum syllabo. Cf. *Acta Sanctissimi D. N. Pii PP. IX, ex quibus excerptus est syllabus editus die 8 decembris 1864*, Romæ, typis Rev. Camerae Apostolicæ 1865.

ADNOTATIO XIX.

Lib. V. Decretal. Tit. VII, § III, n. 158, pag. 268.

DE INDICE LIBRORUM PROHIBITORUM.

Attente legantur litteræ apostolicæ, *Sollicita ac provida*, diei 9 julii 1753, in quibus Benedictus XIV tradit methodum servandam, in examine ac proscriptione librorum a congregationibus Romanæ et universalis Inquisitionis et Indicis; præscribitque certas regulas a relatoribus et consultoribus in examine, judicioque ferendo sequendas. Harum litterarum analysis hic subjungitur.

In præmio exponitur cura Romanorum Pontificum in proscribendis noxiis libris, quæ delegata est tum congregationi universalis Inquisitionis, tum alteri Indici a sancto Pio V institutæ.

ADNOTATIO XX.

Lib. V. Decretal. Tit. VII, § IV, n. 253; pag. 289.

DE OBEDIENTIA ECCLESIAE A PRINCIPIBUS DEBITA.

In Syllabo litteris apostolicis *Quanta cura*, die 8 dec. 1864, adnexo, legitur ista propositio tanquam reprobata, scilicet: « LIV. Reges et principes non solum ab Ecclesiæ jurisdictione eximuntur, verum etiam in quæstionibus jurisdictionis dirimendis superiores sunt Ecclesiæ. » (Litt. apost. *Multiplices inter*, 10 junii 1851, inter *Acta Pii PP. IX ex quibus excerptus est syllabus*, Romæ, 1865, typis rever. cam. apostolicæ.)

Cf. litteras apostolicas Pii PP. IX, anno 1868, quibus institutio gymnasii Constantinopoli facta, in quo recipiendi et educandi sunt simul cum catholicis alumni acatholici etiam infideles, reprobatur.

ADNOTATIO XXI.

Lib. V. Decretal. Tit. VII, § V, n. 290; pag. 298.

NEPOS HÆRETICI NON EST INHABILIS AD BENEFICIA ASSEQUENDA.

In *Collectan. ad usum S. C. Episcop. et regul.* Romæ, 1863, legitur decisio sequens:

« Al Vescovo di Squillace. — L'eresia del zio » non impedisce Fabio Marrescò, che non sia abile » ad ottener beneficj ecclesiastici. Però concor- » rendo in lui le altre qualità necessarie, e non » avendo vostra signoria altro in contrario, potrà » ammetterlo e approvarlo. Roma, 12 gennaro » 1598. »

Hic agitur de avunculo hæretico, et filio nato ex sorore ejusdem.

ADNOTATIO XXII.

Lib. V. Decretal. Tit. VII, § VII, n. 570; pag. 311.

FACULTATES HODIE CONCESSÆ GALLIARUM EPISCOPIS PRO HÆRETICIS ABSOLVENDIS.

Exempli gratia legantur indulta jam ad longum inserta sub Adnotatione C volum. quinti, pag. 735.

ADNOTATIO XXIII.

Lib. V. Decretal. Tit. XI, De infantibus et languidis expositis, n. 27; pag. 544.

DE BAPTISMO, ORDINATIONE, VEL MATRIMONIO EXPOSITURUM.

I. Quoad baptismum legatur Adnotatio XLVIII volum. quinti, pag. 712. Insuper dicendum cum

§ I. Utriusque congregationis circumspectio in proscribendis libris commendatur.

§ III. Inquisitionis congregatio quibus viris constet, quibusve de rebus in ea agatur.

§ IV. Methodus a congregatione Inquisitionis servanda in librorum proscriptione.

§ V. Ulteriores cautelæ adhibendæ, si de auctoris catholici libro agatur.

§ VI. De Indicis congregatione, certisque ejus muneribus.

§ VII. Iterata Pontificis consilia de statuendis certis regulis quæ in librorum proscriptione servantur.

§ VIII. Primum examen instituendum a congregationis secretario et duobus consultoribus cum relatore ad id assumpto. Subsequitur congregationis preparatorie examen. Postremum generalis congregationis judicium a secretario Pontifici defertur.

§ IX. Clausula *donec liber corrigatur*, quando proscriptionis decreto apponenda.

§ X. Auctor catholicus libri ad examen delati non necessario, sed recte tamen, auditur, vel operis defensor ex officio deputatur.

§ XI. Casus proponuntur in quibus licet a datis regulis nonnihil recedere.

§ XII. Secretum omnibus in congregatione Indicis sententiam ferentibus imponitur.

§ XV. Prima regula in ferendo judicio servanda: ut rectum illud sit, ac in neutram partem declinet.

§ XVI. Secunda regula: ne quis de re sibi plene non perspecta sententiam ferat.

§ XVII. Tertia: neque ad proprii instituti sive scholæ opinionem, sed ad Ecclesiæ dogmata et communem catholicorum doctrinam judicium exigatur.

§ XVIII. Quarta: omnibus perspectis ac simul expensis judicium efformetur.

§ XIX. Quinta: ambigua dicta catholici probatique auctoris in bonam partem accipiantur.

§ XXI. Damnationi adjudicantur libri in quibus reprobata dogmata afferuntur, nec refutantur.

§ XXII. Jurgia et convitia a dissidentibus auctoribus adhibita expungantur.

§ XXIII. Nec cuiquam liceat suas opiniones veluti Ecclesiæ dogmata venditare, opposita vero erroris insimulare.

§ XXIV. Proposito Angelici doctoris exemplo, qui suorum adversariorum neminem parvipendere, vellicare, aut traducere visus est, sed omnes officiose et perhumaniter dementiri, edicatur ut scriptorum acerbitas, scurrilitas, nimique licentia coercatur.

Cf. DD. Bailles, episcopum olim Lucionensem: *Instruction pastorale sur l'index des livres prohibés*, Parisiis, 1852, apud Lecoffre et socios.

Plures episcopi gaudent indulto virtute cujus suis subditis facultatem legendi et tenendi libros prohibitos, servatis servandis, imperiri possunt. Cf. *Ord. div. officii in diocesi Senonensi, etc.*, pro anno 1864.

Giraldus, *Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 820, quod « inspecto jure communi, infantes expositi baptizandi sint a paroco, et non a capellano, quin huic suffragari possit clement. 2, *Quia contingit, De relig. dom.* In § *Cæterum* præservatur consuetudo, hodie adhuc vigens in similibus hospitalibus, ministrandi pauperibus ibi degentibus sacramenta communionis paschalis, Viatici et Extremæ-Uncionis, ac eorumdem cadavera sepeliendi independenter a paroco: tum quia hæc duntaxat parochialia jura, tanquam contraria consuetudine præscripta, ibidem exercenda permittuntur, tum quia in ecclesia brephotrophii, nisi simul parochialis fuerit, aut speciali apostolico privilegio munita, non adest fons baptismalis nec retineri unquam consueverit. » Cf. Adnotationes XX et XXI volum. quinti.

H. Expositi indigent dispensatione episcopi ad hoc ut promoveri possint ad ordines minores, ad majores vero et beneficia curata, dispensatione Sedis apostolicæ, juxta disposita circa illegitimos, cap. 1, *Is qui, De fl. presbyt.* in 6; quia vehemens adest præsumptio de illorum illegitimitate. Ita communis et tutior doctorum sententia ac romanæ curiæ praxis, ut probat cardin. Petra, tom. V, *Commentar.* ad constit. XXII Sixti IV, *Religionis*, n. 9 et seqq. Alias omnino arcendi sunt ab ordinibus, pro quorum receptione non sufficit sola præsumptio legitimitatis, ut nonnulli opinantur, sed requiritur certa illius probatio. Ab hac regula eximuntur, teste eodem Petra, loco cit. expositi in hospitali B. Virginis Annuntiatae Neapolis qui, ex privilegio apostolico, ad ordines promoveri posse asseruntur ab archiepiscopo Neapolitano absque alia dispensatione. Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 820.

Quid juris, si prædicti expositi jam promoti fuerint ad sacros ordines sine dispensatione apostolica; an tuta conscientia in illis ministrare possint? Huic dubio, præter generalem regulam quod « in dubio melior est conditio possidentis, » satis favere videtur resolutio Congregationis consultorum S. Officii, habitæ die 6 jul. 1643, prout refert laudatus Petra, n. 16, scilicet: « Non esse respondendum in scriptis cuidam religioso in regno » Cynarum, sed oretenus dicendum esse quietum » in conscientia, ut non indigeat dispensatione, » præsertim cum sit in quasi-possessione. »

Tandem, in casu obtentæ dispensationis, quaeritur quis sit expositorum locus originis, ut hoc titulo ad ordines promoveri valeant? Honoranti, *Praxis secretar. Urbis vicarii*, cap. 1, ita sentit: « Expositos esse originarios loci in quo expositi fuerint; nam eo quod parentes, locusque eorum ignorentur, cives sunt loci in quo expositi fuerunt. Ita tenent Barbosa et Campanil. apud Trullench. » Giraldus, loco citato.

Quid, si expositus primo fuerit expositus et etiam baptizatus in quodam hospitali et deinde in alio educatus? Respondetur esse, quoad ordines, originarium loci ubi, ut alatur et educetur, per-

mansit; non vero loci in quo primo fuit expositus, quia in isto quasi accidentaliter fuit expositus. Giraldus, ibidem.

» Hactenus dicta, inquit idem Giraldus, loc. cit., intelligenda sunt de casu quo de parentibus eorumque loco minime constat, aliter enim dicendum, si de ipsis constet temporis cursu; unde, si de parentibus constet, isque legitimus fuerit, erit originarius loci in quo naturaliter ortus fuit, modo inibi ex accidenti non sit natus; in hoc enim casu origo naturalis patris, origo filii erit. Ratio est quia, ex quo de parentibus constat, desinit expositus esse, saltem quoad effectum tituli originis ad ordines.

» Si tamen de loco, in quo expositus ortus est, minime vero de parentibus constet, verius judico originarium esse loci in quo expositus fuit, non vero loci in quo natus, imo baptizatus fuit: nam ignorantia ea parentum magnam inducit præsumptionem ibi natum fuisse ex accidenti, cum impossibile moraliter appareat parentes ignorari, si in eo loco domicilium contraxerunt.

» Si vero expositus illegitimus fuerit, constetque de matre, originarius ad ordines erit vel loci materni domicilii, vel originis naturalis maternæ, juxta dicta supra.

» III. In *Eugubina*, 11 april. 1651, prout in lib. XIX *Decretor.*, p. 124, a tergo, cum gubernatores hospitalis expositorum asseruissent sacerdotem, ibi in confessarium deputatum cum approbatione episcopi, huc usque puellis expositis administrasse matrimonium, præviis denuntiationibus in ecclesia ipsius hospitalis, et supplicasset pro declaratione hujusmodi matrimonia coram eodem sacerdote celebranda esse, et non coram rectore Ecclesiæ parochialis, intra cujus limites dictum hospitale existit, Sacra Congr. concilii censuit « matrimonia » dictarum puellarum esse celebranda coram proprio paroco, non autem coram dicto capellano » hospitalis. » Cf. *dem* Adnotationes XX et XXI volum. quinti.

ADNOTATIO XXIV.

Lib. V. Decretal. Tit. XIII, De Torneamentis, n. 9; pag. 581.

DE AGITATIONIBUS TAURORUM.

« Cum autem, inquit Giraldus, *Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 830, non dissimiles his torneamentis sint taurorum agitationes, in quibus homines ad ostentationem virium suarum cum tauris, aliisque feris bestiis pugnant, nec cum dissimili vitæ discrimine, vetitæ fuerunt a S. Pio V, sub pœnis contentis in constit. *De salute*, 1 nov. 1567. Hujus constitutionis rigorem temperavit Gregorius XIII, pro regnis tantum Hispaniarum, duntaxat cum limitationibus, in const. *Exoni nobis*, die 25 aug. 1575 data et relata a Quaranta, verbo *Torneamenta*. » Limitationes sunt, quod agitationes taurorum diebus festis non fiant, quod fratres

milites sacris ordinibus initiati non fuerint; et proviso per eos ad quos spectat quod exinde alicujus mors, quoad fieri poterit, sequi non possit. Denique a Clemente VIII, pro dictis itidem regnis, sublata est tantum pœnalis prohibitio, die 13 januar. 1596, præfatas agitationes spectandi quoad omnes, etiam clericos seculares, non vero regulares. Sic loquitur Pontifex: « Clericos sæculares, » beneficia ecclesiastica obtinentes, et in sacris » ordinibus vel in ecclesiastica dignitate constitutos, in dictis Hispaniarum regnis existentes, per » præsentem monemus et hortamur in Domino ne » paterna hac nostra et Sedis apostolicæ benignitate abutantur, sed memores muneris et vocationis suæ, eamque utriusque rationem habeant » ut nihil quod a propria dignitate, et a sua cæterorumque salute alienum existimetur, ullo unquam loco admisisse arguantur. »

ADNOTATIO XXV.

Lib. V. Decretal. Tit. XIV, De Clericis pugnantibus in duello, n. 47; pag. 592.

CONTRA DUELLANTES.

Decreto Tridentino sess. XXV, de reform. cap. 19, et constitutionibus Gregorii XIII, *Ad tollendum*, 3 dec. 1582, et Clementis VIII, *Illius vices* 17 aug. 1592, accesserunt constitutiones Benedicti XIII, *Ex quo divina*, quarto idus junii 1725, et Benedicti XIV, *Detestabilem*, quarto idus novembris 1752 datæ. In constitutione Benedicti XIV statuitur ut sequitur:

« Si quis in duello, sive publice sive privatim indicto, hominem occiderit, sive hic mortuus fuerit in loco conflictus, sive extra illum ex vulnere in duello accepto, hujusmodi homicida, tanquam interficiens proximum suum animo præmeditato ac deliberato, ad formam constitutionis Benedicti XIII, *Ex quo divina* PP. XIII quæ incipit, etc., ab ecclesiasticæ immunitatis beneficio exclusus et repulsus omnino censeatur ita ut a cujuscumque sacri aut religiosi loci asylo, ad quod confugerit, servatis tamen de jure servandis, extrahi et judicii competentis curiæ pro merito puniendus tradi possit et debeat; super quo nos episcopis aliisque superioribus antistitibus ad quos respective pertinet et pertinebit in posterum, necessarias et opportunas facultates præsentium quoque tenore impertimur. Quin etiam, vivente adhuc altero in singulari certamine graviter vulnerato, si percussor in locum immunem se receperit, ex quo, eveniente illius morte, fugam arripere et legum severitatem evadere posse prospiciatur, volumus et respective permittimus ut, quatenus periti ad inspiciendum vulnus acciti, grave vitæ periculum adesse retulerint, percussor ipse, prævio semper decreto episcopi et cum assistentia personæ ecclesiasticæ ab eadem episcopo deputatæ, ab hujusmodi loco immuni extractus,

sine mora carceribus mancipetur; ea tamen lege iudicibus indicta ut illum ecclesiæ restituere debeant, si vulneratus superstes vivat ultra tempus a legibus quæ de homicidio sunt constitutæ; alioquin in easdem pœnas incidant quæ in memoratis Benedicti XIII litteris constitutæ sunt adversus illos qui delinquentem in aliquo ex casibus ibidem expressis, ex indicis ad id sufficientibus sibi traditum restituere recusant, postquam is in suis defensionibus hujusmodi indicia diluerit. »

Deinde Pontifex denegat sepulturam sacram morientibus in loco duelli, etiam decedentibus extra locum conflictus ex vulnere ibidem accepto, licet pœnitentibus, sublata episcopis et ordinariis locorum super hac pœna interpretandi ac dispensandi facultate. Cf. Adnotationem XLII volum. quarti pag. 673.

Uterius proscribit idem Pontifex has propositiones:

« I. Vir militaris qui, nisi offerat vel acceptet duellum, tanquam formidolosus, timidus, abjectus, et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se suosque sustentat, privaretur, vel promotionis sibi debitæ ac promeritæ spe perpetuo carere deberet, culpa et pœna vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum.

» II. Excusari possunt, etiam honoris tuendi vel humanæ vilipensionis vitandæ gratia, duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo sciunt pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.

» III. Non incurrit ecclesiasticas pœnas ab Ecclesia contra duellantes latas dux vel officialis militiæ, acceptans duellum ex gravi metu amissionis famæ et officii.

» IV. Licitum est in statu hominis naturali acceptare et offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio eorum jactura propulsari nequit.

» V. Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statui civitatis male ordinatæ, in qua nimirum, vel negligentia vel malitia magistratus, justitia aperte denegatur. »

ADNOTATIO XXVI.

Lib. V. Decretal. Tit. XVI, De Adulteriis et stupro, § II, n. 55; pag. 599.

DE PœNA STUPRI.

« Quamvis prudenter fere ubique locorum prohibeatur ne, ante contractum matrimonium sponsus in una eademque domo cum sponsa habitet propter periculum evidens copulæ, non tamen prohiberi potest sub pœna stupri, sed duntaxat sub pœna, arbitrio ordinarii infligenda, ex decreto Congr. Concil. relato a Benedicto XIV, *De syn. dioc.* lib. XII, cap. vi, n. 3. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 835.)

ADNOTATIO XXVII.

Lib. V. Decretal. Tit. XVI, § III, n. 91,
pag. 404.

DE ADULTERIO ET DE LENOCINIO.

Constitutio Sixti V, *Ad compescendum*, 30 octobris 1586, tantum pro Urbe lata, inter alias pœnas a sacris canonibus inflictas, addidit pœnam ultimi supplicii tam in adulteros et adulteras quam in lenones et lenas. Cf. Giraldu, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 836.

ADNOTATIO XXVIII.

Lib. V. Decretal. Tit. XVI, § III, n. 92, pag. 404.

DE CLERICIS SOLLICITANTIBUS.

Legantur constitutiones Benedicti XIV, *Sacramentum poenitentiae*, 1 jun. 1741, et *Apostolici*, 8 februar. 1743; et, pro majori in praxi prædictarum constitutionum intellectu, regulæ ad cognoscendum qui denuntiandi sint, quas ob causas, quando, et qua ratione denuntiare oporteat; quæ regulæ, prout ad singulas earumdem constitutionum partes exaratae fuerunt a Philippo de Carboneano, in ejus *Addition. ad Theolog. moral. P. Antoine*, edit. Rom. 1757, part. II. Illud opus prædicti Philippi ad longum inseritur a Giraldo, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 809; qui notat omnes constitutiones, editas contra sollicitantes in confessione, in singulas nationes universim vires suas extendere, ac Latinos æque ac Græcos sua amplitudine comprehendere, uti declaravit idem Benedictus XIV, const. *Etsi pastoralis* 26 maii 1742, § IX, n. 5.

Attendendum ad decretum S. C. Sancti Officii, diei 21 februar. 1630, ex quo illi, qui in partibus schismaticorum, hæreticorum et mahumetanorum degunt, licet subjecti sint constitutionibus contra sollicitantes, tamen in iis locorum circumstantiis, in quibus nulla spes adsit punitionis denuntiati, atque mulieres sine periculo et infamia denuntiare nequeant, denuntiatos vero facile pœnam declinare posse credatur, recurrendo vel ad episcopos schismaticos vel ad laicos iudices infideles, absolvendi sunt et liberandi ab hujusmodi onere denuntiandi; moneri tamen debent ut « cessantibus supranarratis periculis et impedimentis, teneantur denuntiare. » Item ad decretum ejusdem congregationis respondentis, die 22 januar. 1727, dubiis propositis a P. Carolo Josepho Spedia, præfecto missionum in America, ubi declaratur mulieres sollicitatas non teneri ad denuntiationem, si ministri inquisitionis et vicarii episcopi, in longinquis regionibus degentes, sine gravi incommodo adiri nequeant; sed observanda sunt quæ a decreto 21 februar. 1630 præscribuntur.

Legendæ sunt etiam apud Giraldu, loco ci-

tate, variæ instructiones circa denuntiationes faciendas et respective recipiendas in materia sollicitationis, prout referuntur in Appendice Synodi diocesanæ Civitatis Castellanae, celebratae anno 1753, quarum summaria tantum hic subjungi possunt, scilicet:

« I. Istruzione della S. C. del Santo Offizio per le denunzie de' penitenti sollecitati nella confessione, senza manifestare il proprio consenso. » Roma li 27 settembre 1624.

« II. Istruzione nella materia delle denunzie di sollecitazione de' confessori per la custodia del sigillo sacramentale. Roma, 23 marzo 1726.

« III. Istruzione quando e come si possano delegare li sacerdoti confessori per ricevere le denunzie nelle materie spettanti al Santo Offizio, senza notaro. Roma, 7 luglio 1725 et 14 luglio 1733.

« IV. Metodo di ricevere le denunzie da sacerdoti confessori, specialmente però delegati in materia di sollecitazione senza notaro. »

Die autem 20 februarii 1867, sacra congregatio Sancti Officii novam instructionem ad omnes archiepiscopos et episcopos direxit circa constitutionem Benedicti XIV, *Sacramentum poenitentiae*, præmio et articulis sexdecim constantem; cui subnexus est « modus quo recipi debent denuntiationes, in re ad sollicitationem spectante, ab iis qui ad denuntiationem aliquam absque interventu notarii recipiendam delegantur. » Quorum omnium tenor sequitur:

« Quæ Supremus Pontifex gl. mem. Benedictus XIV in constitutione, die prima junii anno 1741 edita, cujus initium est *Sacramentum poenitentiae*, confirmavit ac decrevit, ea ad hæc quatuor maxime capita reducuntur. In primis, quemadmodum jam antea sancitum fuerat præsertim a Gregorio XV, constitutione quæ sub die 30 augusti anno 1622 data incipit *Universi*, omnes locorum Ordinarii æque ac Inquisitores deputantur iudices ad inquirendum et procedendum et condignis penis animadvertendum contra sollicitantes ad turpia in confessione, quamvis ab ordinaria jurisdictione quomodolibet exemptos. Itidem omnes sacerdotes ad audiendas sacras confessiones constituti, sicut antea quoque præscriptum erat, obligantur monere suos poenitentes ut sollicitantes hujusmodi, quamprimum poterunt, Inquisitoribus aut locorum Ordinariis deferant; eosdemque poenitentes non absolvere, qui huic adimplendo muneri parere recusent. Præterea tertio loco Apostolicæ Sedi reservatur, excepto mortis articulo, eorum casus qui innocios sacerdotes apud ecclesiasticos iudices falso sollicitationis insimulant, vel scelestè procurant ut id ab aliis fiat. Quarto denique sacerdoti cuilibet omnis facultas et jurisdictio ad sacramentales confessiones personæ complicis in peccato turpi contra sextum Decalogi præceptum commissio excipiendas admittitur, nisi extrema prorsus urgeat necessitas; nimirum si in ipsius mortis articulo alter sacerdos desit, qui confessarii munere fun-

gatur, vel sine gravi aliqua exortura infamia vel scandalo vocari aut accedere nequeat (Const. ejusdem S. P. Bened. XIV *Apostolici muneris*, die 8 febr. 1743). Et Apostolicæ Sedi reservatur eorum confessoriorum casus, qui complicem in peccato turpi absolvere ausi fuerint.

« Nullum sane dubium est, quin hæc præscriptiones, prohibitiones, reservationes omnes et singulæ in cunctas nationes universim vires suas extendant, et ubique terrarum inconcusse ac inviolabiliter observandæ sint. Quod quidem vel legenti Gregorii XV et Benedicti XIV constitutiones evidentissime patet; et id ipsum consequentium Pontificum suffragio, prout se dedit occasio, ad hanc usque diem confirmatum est. Et re quidem vera vicario Apostolico Cocincinae sciscitanti: 1. *An constitutio Benedicti XIV adversus sollicitantes obliget etiam missionarios franciscanos, qui ministerium exercent in Cocincina?* 2. *An eadem constitutio restringi possit ac moderari in aliquo casu ob magnam confessoriorum penuriam in eodem regno Cocincinae?* — Jussu Pii VI, anno 1775, opportuna instructione responsum fuit: *ad 1, affirmative; ad 2, negative.* Et proxime Sanctissimus D. N. Pius Papa IX decreto hujus supremæ Inquisitionis sub feria IV, die 27 junii anno 1866, edixit, *in facultatibus quibus episcopi alique locorum ordinarii ex concessione Apostolica pollebant absolvendi ab omnibus casibus apostolicæ Sedi reservatis excipiendos semper in posterum, et exceptos habendos esse casus reservatos in bulla Benedicti XIV quæ incipit: Sacramentum poenitentiae.* Hoc decretum vero omnibus ubique terrarum ordinariis prædicta absolventi facultate donatis absque ulla exceptione significandum mandavit.

« Quamobrem omnibus locorum ordinariis euitendum summopere est, ne eorum vigor, quæ in prædicta Constitutione salubriter providentur, paulatim uspiam elanguat. At Eminentissimi PP. cardinales supremi Inquisitores nuper cognoverunt, eandem constitutionem non ubique, sicuti par esset, executioni tradi, atque in aliquibus locis nonnullos tum in denuntiationis onere adimplendo, tum in iudicio contra sollicitantes instituendo, irrepsisse abusus, qui sine justitiæ ac providæ severitatis discrimine tolerari minime possunt. Itaque neque inopportuno neque ipsis locorum ordinariis ingrato fore judicantur, si quæ contra eosdem abusus ab hac suprema Congregatione ad tramites sacrorum canonum decreta fuerunt, in unum collecta præepta habeantur. Ad quem effectum præsentem instructionem edi mandarunt.

« 1. Personæ sive mares sive femina, quæcumque illæ sint, et ad turpia sollicitatæ in confessione vel occasione aut prætextu confessionis, quemadmodum enucleate in memorata constitutione præcipitur, rem ad Sanctam Sedem vel ad loci ordinariarum deferre debent.

« 2. Denuntiare oportet quemcumque sacerdotem etiam jurisdictione carentem, sollicitantem in confessione, vel etiam poenitentis sollicitationi con-

sentientem, quamvis statim dissentientem de turpi materia loqui, illius complementum ad aliud tempus differentem, et non præsentem absolutionem poenitenti. (Ex declar. diei 11 febr. 1661 confirmata in constitut. *Sacramentum poenitentiae.*)

« 3. Hujusmodi denuntiationes a nemine absque culpa lethali omitti possunt. Qua de re poenitentes debent admoneri, neque ab iis admonendis instruendisque eorum bona fides excusatur.

« 4. Sacerdotes ad sacras audiendas confessiones constituti, qui de hac obligatione poenitentes suos non admonent, debent puniri. (Ex declar. datis sub diebus 20 martii 1624, 1 octobris 1626, penes Albit. *De inconstancia in fide*, cap. xxxv, n. 17.)

« 5. Poenitentes admoniti et omnino renuentes nequeunt absolvi: qui vero ob justam causam denuntiationem differre debent, eamque, quo citius poterunt, faciendam spondent serioque promittunt, possunt absolvi.

« 6. Denuntiationes anonymæ contra sollicitantes ad turpia nullam vim habent: denuntiationes enim fieri debent in iudicio, nempe coram episcopo ejusve delegato cum interventu ecclesiastici viri, qui notarii partes teneat, et cum juramento et cum expressione et subscriptione sui nominis, nec sufficit si fiat per apochas vel per litteras sine nomine et cognomine auctoris (Albit. loc. cit., n. 21). Cæterum prohibetur ne in recipiendis denuntiantibus præter iudicem et notarium, virum utrumque ecclesiasticum, speciali et scripto exarata episcopi deputatione munitum, testes intersint. Cavendum quoque ne ex denuntiantibus quæratum num sollicitationi consenserint: et convenientissimum foret, si de hujusmodi consensu quantumvis sponte manifestato nihil notetur in tabulis. (Ex declar. Urbani VIII sub fer. IV, die 17 aprilis 1624.)

« 7. Denuntiationis onus est personale et ab ipsa persona sollicitata adimplendum. Verum si gravissimis difficultatibus impediatur quominus hoc perficere ipsa possit, tunc vel per se, vel per epistolam, vel per aliam personam sibi benevisam, suum adeat ordinarium vel Sanctam Sedem per sacram Poenitentiarum, vel etiam per hanc supremam Inquisitionem, expositis omnibus circumstantiis et deinde se gerat juxta instructionem quam erit acceptura. Si vero necessitas urgeat, se gerat juxta consilia et monita sui confessarii. Ast, si nullo impedimento detenta, denuntiationem omnino renuat, in hoc casu aliisque supra memoratis, laudandus est confessarius, qui operam suam poenitenti non denegaverit, et vel ordinarium vel Sanctam Sedem pro opportunis providentiis consuluerit, suppresso tamen poenitentis nomine. Formulas autem hisce in casibus adhibendas tradunt probati auctores, quos inter Pignatelli, t. I, consult. 104, Carena, Albitios, etc.

« 8. Non infrequenter occurrit casus ut confessarius abusive ecclesiasticus vir ab episcopis (quorum utique hæc potestas est) deputetur ad denuntiationes recipiendas in re ad sollicitationis crimina